



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et  
Sexto Decretalium Continentvr

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Regvla LII. Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur  
effectum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

transferrī posse. *V. Suar. l. 4. con. ex. Angl. c. 19 n. 6 & seq.*

R. Ignorantia, & bona fides illius, qui rem sacram non vendibilem emit, beneficio juris excusatur, & actionem habet ad id, quod interest, adversus venditorem: dominium vero manet apud Ecclesiam, nec transferri potest per ejusmodi lavatos & erroneos contractus. *V. qua dixi in 2. Part. Summæ tit. 17 §. 2.*

Obj. 3. Servos suos usibus, & ministerio sacro deputatos quolibet ecclesia vendere, vel cum aliis permutare potest, quo facto in manus laicorum devenient jam profani, qui nuper sacri. *c. Fugitivi. c. Injustum. 12. q. 2. c. Mancipia. de ter. permutacione.*

R. In Conc. apud Silvanellum, quæsitum fuit, utrum mancipia ecclesiarum permutati possint cum mancipiis laicorum, & definitum, non posse, nec debere propter Regulam hæc. *Sen el DEO dicatur* &c. cā tamen conditione permitti, ut ea quæ à laicis recipiunt, in servitute ecclesiæ sint, & quæ ab Ecclesia laicis dantur libertate gaudeant. Absurdum namque est, ut ab ecclesiastica dignitate servus decedens humanæ sit obnoxius servituti. Unde manifestè apparet, ecclesiam jure suo quādātenus cedere, ut Christianæ charitati locus sit. Solvit vinculum servitutis, ut subintret vinculum charitatis. *V. Gloss. in cit. c. Mancipia. & Barb. eod.*

## REGVLA LII.

*Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.*

I QVAM conformis hæc Regula æquitati, & rationi sit ex receptis in iure tribus quasi maximis colligitur. 1. Quod nullum est, nullum producit effectum. *l. 4. §. Condemnatum. ff. de re iud. l. Non putavit. §. non quavis ff. de bon. poss. 2. Paria sunt, nullum esse, & esse sine effectum. *Surd. Decis. 51. Barb. in Axion. 147 n. 23; 3. Paria sunt, non fieri, & non sortiri effectum. l. 1. §. Nihil ff. de inof. test. l. Si quis sub conditione ff. de testament. ar. tutela. Damasus in Reg. 99. Corita in memorabil. V. actus nullus. Exemplum reperitur in c. 4. & 5. de despons. inoub. Sempronius cum puella nondum septenni sponsalia contraxit, & non**

multò post cum ejusdem matre matrimonium. Matrimonium hoc ratum esse rescripsit Pontifex non obstantibus sponsalibus cum puellā initis, quia de iure non obstant, adeoque non præstant impedimentum publicæ honestatis, ex quo aliàs matrimonij contractus impeditur. 2. Si Canonici scienter indignum nominent, eaque nominatio, seu electio effectū careat, non ideo privantur jure eligendi, quam non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *c. Perpetuo. De elect.*

11. Sed obstare videtur. *c. Quanquam eod. ubi jure eligendi privantur, qui indignum.*

T. 3.

dignum elegerunt. *Dynus* ita conciliat. Si Canonici perstiterint in electione facta, ita, ut sequatur effectus, privari jure eligendi: si autem non perstant, adeoque effectus non sequatur, non privari juxta tenorem hujus Regulæ. *Non præstat impedimentum, &c.* 3. In contractibus si prima stipulatio obtinet, secunda ejusdem rei non subsistit: subsistit autem, si prior irrita fuerit. Tunc enim, cum non sit, nullum effectum producere potest. *l. 1. Si dari. ff. de verb. obligat.* 4. In judicio, si quis juraverit per salutem suam, cum non esset hoc illi juramentum delatum, denuò solenniter jurare potest propter eandem causam. *l. Qui per salutem ff. de iure iur.* Similiter mandatum citationis per citationem invalidè factam non finitur. *Alex. in l. Servi electione. ff. de leg. 1. Gaill. l. 1. obs. 54. n. 8.*

**II. Amplia 1.** Ut locum habeat etiam in sacramentis. Nam baptizatus cum defectu essentiali, qui irritum sacramentum reddit, iterum baptizandus est. Pari ratione, ordinum susceptio sine effectu celebrata nihil operatur, nec impedit secundam, & sic in aliis omnibus. *Sylv. in V. Baptismus. §. v. n. 3.*

**2.** Ut valeat etiam cum præjudicio ecclesiæ. Nam quod jure parochiali ecclesiæ solvenda sit quarta funeralis, non procedit, nisi electa fuerit sepultura, & in effectu completa. *Card. in Clem. Dudum. de sepult. Azor II. l. 9. c. 13.*

**3.** Quamvis actus à declaratione Iudicis de nullitate sua pendeat. Vnde de attentatis post appellationem à Iudice, à quo, quæ non omnino nulla, sed

tamen retractanda sunt, non est opus, mentionem facere: nec de appellatione ab adversario deserta. *Gaill. l. 1. obs. 146. Felinus in c. Ex tenore de rescriptis.*

**4.** Nec in rescripto, aut alibi facere mentionem necesse est ejus, quod de jure non sortitur effectum, *Geminian. Consil. 138.* Idem de prævisione nulliter factâ dicendum. *Glo. in c. Cum nostris. de concess. præb.* Nec de pendentia litis ex surreptitio rescripto mota. *c. Non solum De appellationib. in 6. Barb. in c. Ex tenore, de rescriptis.*

**5.** Licet aliquale periculum subsit, & communes Regulæ obistere videantur. Nam testis, qui non est perfectè examinatus, ita, ut effectu careat ipsius testimonium, rursus examinari potest etiam post publicationem testimoniorum, maxime si id culpa Iudicis accidit. *Panor. & Imola in c. Per tuas. de donat. inter vir. & uxorem.*

**6.** Adde, licet testis non bonæ famæ sit, & suspicione gravetur. Nam si coram Iudice incompetente testimonium dixerit, & huic contrarium coram competente Iudice, non obstat prius, quin acceptetur ut validum. *c. Ar. si clerici. de iudicis.* Iudex quoque si sententiam nullam tulerit, non ideo litem suam facit, nisi fortè re ipsa executus fuerit. *Glo. & Bart. in l. fin. ff. de variis, & extraordinar. cognitionibus. Angelus, & alii in l. 1. §. Hac autem. ff. Quod quisque in-*

**7.** Denique extendenda est ad statuta. Nam statutum puniens illum, qui exceptionem proponit, intelligi debet de exceptione, quæ de jure effectum consequi potest. Item juramentum de

servandis statutis non accipitur, nisi de validis, ut fuse declarat. *Felinus in c. Ex tenore de scriptis Gutierri. de iure conf. p. 1. c. 38. n. 6. 7. Marfil. Singulari 125. Cottain Memorabilib. V. Confirmatio Pontif. pag. 132. Rolandus Consil. 29. n. 35. l. 1. & Consil. 71. n. 46 cum seqq. l. 2. Cephal. Consil. 133. n. 101. cum seqq. l. 1. Barbosa in Axiomate 164. num. 6.*

III. Exceptiones, seu limitationes Regulae apud Baldum, & alios in c. Ex tenore de scriptis. permultae sunt.

Nam 1. Fallit in iis casibus, in quibus vel sola voluntas ad effectum causandum sufficit, quemadmodum in legato, quod ademptum censetur priori legatorio, quamvis posterior ejusmodi sit, ut consistere in ipsius persona legatum non possit: vel si posteriore testamento licet imperfecto legatum revocatum fuerit, quae in hac re sola voluntas sufficit. *l. plane ubi. ff. de legat. 1. l. Esi. ff. de adim. vel transf. leg. l. ex parte. 101.*

2. Fallit in delictis. Nam quae contra jus fiunt effectu carent, & pro infectis haberi debent. *Reg. 64. infra.* quod sic intellige, inutilia, & quasi non facta censeri quoad commodum, & utilitatem ejus, qui deliquit; non vero, quoad poenas, & vindictam, quae nunquam deerunt malefactoribus. Iustum est enim, ut quos culpa inquinat, poena constringat. *S. Greg.*

3. In iis qui aliquid jure alieno fa-

ciunt, ut ministri, & delegati, aut substituti. Nam si delegatus judicaverit semel, & erraverit, iterum judicare non potest. *Menoch. l. 1. de arbitrar. q. 67. n. 21. Bart. & Innoc. in c. In litt. de off. Delegati. Alexand. in l. Iudex posteaquam. ff. de re iudic. Ruinus Consil. 142. n. 1. l. 4. Vantius in Tract. Nullitatum. tit. Coram quo nullitas proponi possit. n. 14.*

Fallit nihilominus primo, cum delegatus non observata forma delegationis suae pronuntiavit sententiam. Tunc enim judicare iterum potest. *c. Cum dilectus a. de scriptis. Fallit secundo* in delegato Principis, qui quamvis nulliter prolata sententia judicare denuo potest, non secus atque ordinarius ipse. *Angel. in l. Iudex posteaquam. ff. de re iudic. Decius in c. In litteris. de off. Deleg. Bello. l. 3. suppur. Tur. c. 18. & Boer. q. 6. n. 6. equam dicens sententiam hanc, & maiori quadam benignitate sustulit.*

4. In illis qui actum aliquem exercent jure aliquo speciali. Quamvis enim nihil iniquum sit denuo exercere quippiam jure communi concessum, idem tamen in speciali jure non fit: ne plura specialia concurrere videantur. *l. Eius militis. ff. de milit. testam.*

Denique exactius perferuntur plura se offerent, in quibus a communi hac Regula recedatur, de quo *V. Felin. in c. Ex tenore de R. scriptis. Tiraquellum, Cottam, & alios apud Peckium pag. 531. & Barboj. in Axiom. 115. & Axiom. 164.*